





4

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
EXACERBATIONE
HAEMORRHAGIARVM
AB INTEMPESTIVO ADSTRIN-
GENTIVM VSV

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
P R A E S I D E

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

AD D. XXXI. MARTII, A. S. R. CLD ICCC LVII.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES GOTTHOLD MATTHAEI

BOLESLOVIA SILESIVS.

HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.

DISSERTATIO IN AVARIA MEDICA
DE
EXACERBATIONE
HAEMORRHOIDARUM
AB ALIQUANTO ADSTIN-
GENTIVM VSV

CONSENSU GRATIAE FACULTATIS MEDICAE
P. R. A. E. S. I. D. E.

D. ANDREA LILIA DI GIUNERO
MAGISTRO PRAECEPTORIS
MAGISTRI PRAECEPTORIS
MAGISTRI PRAECEPTORIS
MAGISTRI PRAECEPTORIS
MAGISTRI PRAECEPTORIS
MAGISTRI PRAECEPTORIS

PRO GRADU DOCTORIS
SYNTHESIVS IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
DIGNITATIBUS ET PRIVILEGIIS
DIGNITATIBUS ET PRIVILEGIIS
DIGNITATIBUS ET PRIVILEGIIS
DIGNITATIBUS ET PRIVILEGIIS
DIGNITATIBUS ET PRIVILEGIIS
DIGNITATIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ALMA REGIA UNIVERSITATE
MAGISTRI PRAECEPTORIS
MAGISTRI PRAECEPTORIS
MAGISTRI PRAECEPTORIS
MAGISTRI PRAECEPTORIS
MAGISTRI PRAECEPTORIS
MAGISTRI PRAECEPTORIS

JOHANNES GOTTFRIED MATERNI
MAGISTRI PRAECEPTORIS
MAGISTRI PRAECEPTORIS
MAGISTRI PRAECEPTORIS
MAGISTRI PRAECEPTORIS
MAGISTRI PRAECEPTORIS
MAGISTRI PRAECEPTORIS



VIRIS
PRAENOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSVL-
TISSIMIS AC PRVDENTISSIMIS
CIVITATIS BOLESLAVIENSIS
DOMINO
CONSVLI
PROCONSVLI
ET RELIQVIS.
SENATORIBVS
SPECTATISSIMIS,
PATRONIS AC FAVORIBVS
OMNI HONORIS CVLTV AETERNVM
PROSEQVENDIS,



DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM
TESTIMONIO PERENNIS SVAE ERGA TANTA
NOMINA VENERATIONIS
CVM PIO ET ARDENTISSIMO VOTO
OMNIGENAE ET SEMPITERNAE
PROSPERITATIS ET INCOLVMITATIS

OFFERT
IISQVE DECENTER

D. D. D.

IOANNES GOTTHOLD MATTHAEL.



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
EXACERBATIONE
HAEMORRHAGIARVM
AB INTEMPESTIVO ADSTRIN-
GENTIVM VSV.

PROOEMIUM.



Omniū remediōrum applicatio, si ratione effectus salutaris esse debet, supponit, vt Medicus illorum vires atque facultates probe calleat, ipsasque morborum causas exacte cognoscat, ne vel morbum praesentem adaugeat, vel penitus corrumpat. Inter eiusmodi vero morbos, qui per incongruam medelam de-

teriores redduntur, iure meritoque *Haemorrhagias adstringentibus tractatas* referendas esse existimo; unde sequitur, vt hoc respectu adstringentia, ob actionem vehementiorem, quam saepe exferere solent, vel plane non, vel saltem admodum circumspecte adhibenda sint, & tunc demum in haemorrhagiis locum inueniant, si, aliis remediis securioribus iam incassum adhibitis, adhuc vitae periculum immineat. Si enim nimis validum & praecipitem adstringentium agendi modum insimulque haemorrhagarum causas consideramus interque se comparamus, illa minus apta esse ad has tollendas & remouendas, deprehendimus, quod tamen Medico rationali perficiendum incumbit; hinc vltius patet, cur adstringentium vsus nimis arctis circumscriptus sit limitibus, & haemorrhagiae exinde facillime exacerbari possint. Quae cum ita sint, eo magis operae pretium esse duxi, hoc thema speciminis inauguralis loco paulo vberius explanatum sistere, quo certius persuasus sum, adstringentium vsum in praxi medica saepe nimis esse liberalem, & potissimum Medicos nimis audaces facile ad haec

haec remedia, tanquam sacram anchoram, confugere, minusque perpendere, quam noxius effectus quantaque damna in aegrotantes exinde redundant. Hanc ergo Medicorum audaciam illicitam iamiam vituperavit *Excell. Dn. D. DANIEL*, ob eximias mihi suppeditatas instructiones practicas semper maxime mihi suspiciendus, Part. II. *derer Beyträge zur medicinischen Gelehrsamkeit*, p. 118. §. XIII. Verſabor vero circa huius thematis pertractationem ita, vt *prima parte* haemorrhagias generali ſubiiciam conſiderationi; *ſecunda parte* de adſtringentibus generatim agam, tandemque *tertia* demonſtrem, haemorrhagias ab intempeſtuo adſtringentium uſu exacerbari poſſe. Adnuat ſupremum, quod cuncta gubernat, Numen laboribus hiſce, & mea qualiacunque conamina felici ſucceſſu ſecundet.



PARS.

PARS PRIMA
DE
HAEMORRHAGIIS IN GENERE.

§. I.



Haemorrhagiae, in corpore nostro contingentes, ut plurimum ex illis locis proueniunt, quorum resistentia a vi sanguinis adpulsi faciliori negotio superari potest. Hancce veritatem perspectam habemus in haemorrhagia narium, haemorrhoidibus, &c. ubi structuram vasorum admodum teneram animaduertimus, quae sanguini, copiosius aut impetuosi versus haec loca delato, facile transitum concedit. Inde ergo patet, quamlibet haemorrhagiam esse *excretionem sanguinis plus minusue sinceri, e vasis corporis humani, notabili in copia, variis ex causis contingentem.*

SCHOLIUM I. Secundum hanc definitionem, illa, quae in cerebro quandoque contingit, sanguinis extrausatio, ad haemorrhagiarum classem proprie haud referenda nobis videtur, quoniam sanguis tunc vix vnquam notabili in copia, sed plerumque parcius e canaliculis suis prorumpit, prout anatomica subiectorum inde demortuorum sectio demonstrat, eaque propter Pathologis vsitatori *apoplexiae sanguineae* vocabulo truculentum & terrificum hunc insignire placuit morbum. Quod vero haec denominatio huic affectui iure quasi aliquo magis competat,

petat, prolixius demonstrarunt *Perillustr. van SWIETEN* in *Commentar. in Boerbaauii Aphor.* Tom. III. §. 1007. p. 250. & Celeberr. SCHREIBER, in *der Anweisung zur Erkänntnis und Cur derer vornehmsten Kranckheiten*, Cap. XVIII. p. 169.

SCHOLIUM II. Hoc respectu pariter quoque sputum cruentum, & aliae excretiones sanguineae, paucis tantum guttulis conspicuae, tam secundum definitionem nostram, quam iuxta *Perillustr. van SWIETEN* mentem, Lib. cit. Tom. I. p. 344. ubi, *haemorrhagiam copiosum sanguinis cum impetu effluxum denotare*, scribit adnumerari haud poterunt haemorrhagiis, sed saltem pro stillicidio sanguineo, in veras quandoque haemorrhagias transeunte, reputari possunt.

§. II.

Ad quamlibet haemorrhagiam requiritur, ut vasa vel sint *disrupta*, vel *dilatata*. Ea enim est texturae vasorum conditio, ut partim ex membranis, partim ex fibris simplicibus contexta sint, quae cohaesionem satis laxam, secundum principia anatomica, monstrant, adeoque rupturam pariter atque dilatationem facile admittunt. Inter has vero causas, quae potissimum vasculorum sanguiferorum dilacerationem inferunt, *externa violentia* referri meretur, quae diuersimode, v. g. contusione, vulneratione, lapsu, plaga, onerum eleuatione, &c. induci potest. Quodsi enim corporum externorum actio maior est, quam partium corporis nostri resistentia, sequitur fibrillarum, ex quibus tamen vasa conflata

B

sunt,

10 *De exacerbatione haemorrhagiarum*

sunt, imminuta cohaesio, hanc vero auctior humorum affluxus, cum subsequente ruptura & sanguinis profluvio, excipit.

SCHOLIUM. Inter complura exempla, hinc inde in scriptis medicis occurrentia, nonnulla, a recentissimis ac celeberrimis Medicis allegata, ad veritatem corroborandam mihi adhuc sufficient. Sic *Illustr. PRAESES*, Praeceptor ac Patronus meus ad cineres vsque nunquam satis colendus, in *Miscellaneis physico-medico-matematicis*, anno 1727. M. Mart. Class. IV. Artic. 5. p. 179. exemplum exhibet, quod ab alapa, rustico inflicta, haemorrhagia narium larga producta sit, qua insimul pertinax odontalgia cessavit. Deinde *Perillustr. van SWIETEN* in *Comment. in Boerhaavii Aphor.* Tom. I. p. 220. & 235. variis testatur exemplis, quod a violentia externa, v. g. vulneratione, gravissimae haemorrhagiae sint obortae. Recordor quoque, nuper, inter aegrotantium copiam, quae *Celeberr. Du. D. DANIEL* curae sese commiserunt, iuvenem plethoricum, annorum viginti quatuor, me vidisse, qui a solo lapsu in terram mox in vehementem incidit haemoptysin.

§. III.

In evolutione causarum *disruptionem* vasorum inducentium, nunc ipsa *acrimonia corrosiva* consideranda venit. Praeternaturali quandoque acrimonia humores nostros inquinari, neminem Medicinae probe gnarum negaturum esse existimo: sanguis enim est fluidum ex variis heterogeneis partibus compositum, adeoque ad corruptionem facili

ex

ex causa pronum. Mixtio autem eius blanda legitimo humorum motu progressiuo debitoque se- & excretionum successu nititur, adeoque, quamprimum saluberrimus ille sanguinis motus turbatur, tunc se- & excretiones, quarum ope alias inutiles atque acres partes e massa humorum eliminantur, statim alterantur atque imminuuntur, hinc sordes intra corpus remanent, quae diuturniori mora acriores redduntur & per vasa dein resorbentia ad massam sanguineam revehuntur. Quando igitur sanguis, partibus eiusmodi acribus inquinatus, in vasa minora penetrat, tunc partes illae, ob motum in vasculis hisce tardiozem, fibrillis tenerrimis adhaerent, & corrodendo rupturam inferunt. Facta vero hac, sanguis necessario prorumpere debet.

SCHOLIUM. Potest autem diuersa esse acrimonia, haemorrhagias producens, prout ex obseruationibus medicis luculenter apparet. Sic enim *Illustr. Dn. PRAESES in Compend. Pathol. Special. Sect. III. Cap. I. §. VII.* refert, quod symptomaticae haemorrhagiae a materia acri maligna in febribus exanthematicis malignis saepius excitentur, aliudque exemplum *Illustr. b.m. HOFFMANNVS* proponit in *Medic. ration. system.* Tom. IV. Part. II. p. 152. vbi ex retro-pulsa scabie, adeoque acrimonia corrodente, mictus cruentus est abortus. Taceo iam haemorrhagias largissimas scorbuticorum & phthisicorum, itemque cancriosis ulceribus superuenientes, quae huius asseriti veritatem pariter abunde satis comprobant.

§. IV.

Tandem quoque a vi & copia sanguinis impetuosis

tuofius aduecti vasa dirumpi poffunt. Plethora enim (fecundum princ. pathol.) vafa premit, diftendit, eorumque vim elasticam imminuit, hinc fi vis fanguinis ordinaria maneat, & vafa nimis fint debilitata, fanguis copiofius eo ruit, vbi minor eft refiftentia, ibidemque ftagnando magis accumulatur, ac denique premendo & diftendendo rupturam producit. Porro etiam, fi vafa venofa comprimuntur & anguftiora redduntur, quod ligatura, fpasmo, obftrudtione, fcirrho, &c. fieri folet, fub quibus circumftantiis fanguinis motus progressiuus valdopere turbatur, ita vt fanguinem per arterias continuo advectum venae recipere nequeant, tunc pariter magis in iisdem coaceruatur, ficque tandem non folum dilatationem, fed diruptionem quoque teneriorum canaliculorum inferre potef. Non minus quoque huc referendus erit nimius fanguinis orgasmus, qui ad effectus actionis partium folidarum praeternaturaliter auctae pertinet, prout hoc manifefto patet ex immodico fpirituoforum abufu & animi pathematibus grauioribus, praefertim vero iracundia, quibus fanguis grauiifime exagitur, eiusque vis ita augetur, vt, dum verfus partes quaedam imbecilliores vehementius propellitur, vafa quaedam a violento tali impulfu ad diruptionem difponantur.

§. V.

Accufauit ftatim in initio duplicem caufam, haemorrhagias prouocantem, vaforum nempe diruptionem, & nimiam illorum dilatationem; priorẽ ¶¶. praecedentibus demonftraui; posterior vero adhuc

adhuc explicanda superest. Constat ex anatomicis, quod e lateribus & extremitatibus vasorum sanguiferorum exigua alia progrediantur, quae serosa vocantur, & idcirco angustioris sunt diametri, eiusque intuitu naturaliter sanguineis globulis ingressum denegant, quoniam longe maiores atque crassiores sunt serosis; interim tamen accidere potest, vt per fines arteriolarum, alias rubrum sanguinem non admittentes, talis aliquando transeat. Quod autem vasa ista simili modo, sicuti sanguifera, vltra naturalem suum gradum dilatari possint, nemo forte inficias ibit, qui modo perpendit, quod vasa cuiuscunque generis constituent corpora elastica, adeoque ita dilatari possint, vt fluido crassiori transitum concedant, quod luculenter patet ex ophthalmia sic dicta sanguinea, vbi vascula tunicae albugineae oculorum tenerrima sanguine repleta conspiciuntur. Deinde etiam similem mutationem in diuersis subiectis obseruamus, dum pallor naturalis faciei sub variis non solum corporis, sed & animi commotionibus, v. g. verecundia, ira, &c. subito saepe in ruborem mutatur; tandemque & ipse sudor sanguineus hanc assertionem confirmat, quippe qui sine dilatatione vasorum lateralium nunquam contingere potest.

§. VI.

Quod ad *causas* attinet, quae eiusmodi praeternaturalem vasorum dilatationem & extraordinarium sanguinis in ea ingressum producant, has potissimum motus eius inaequalis & impeditus, vel qualitas deprauata constituunt. Ex arteriis

venae ordinarie sanguinem recipiunt (per princip. physiol.); quod si vero hae a quacunque demum causa praeternaturaliter afficiuntur, tunc motus humorum progressius alteratur & inordinatus redditur, interim affluxus per arterias continuatur, hinc sanguis coaceruatur, tandemque in vasa lateralibus urgetur, ibidemque a vi cordis & sanguine appulso ulterius propellitur, donec per ultimos fines ad exitum suum perveniat. Neque minus eadem sub depravata sanguinis qualitate observamus, si nimirum humor hic nimis attenuatus atque resolutus sit; tunc enim facillime, accedentibus aliis causis, in vasa lateralibus penetrare potest, indeque haemorrhagiae in morbis acutis obvenientes, originem suam trahunt.

SCHOLIUM. Ut paucis adhuc staseos inflammationis mentionem iniiciam, necesse est, quam pariter ab ingressu globulorum sanguineorum in vasa non sanguifera oriri novimus. Differt autem haec in eo a haemorrhagia, quod globuli sanguinei, in vasa illa propulsi, plane extra omnem motum constituti sint, adeoque neque progredi, neque regredi queant, sed adeo firmiter ibi impacti haereant, ut irritatione sua vehementi febrem gravissimam excitent. Conf. *Perillustr. van SWIETEN in Comment. in Boerhaavii Aphor. Tom. I. §. 100. pag. 145.* Si vero tali ratione haemorrhagia producitur, tunc progressius sanguinis adhuc subsistit & continuatur motus, ita ut eius tandem excretio per ultima vasorum ostiola subsequatur.

PARS SECVNDA
DE
ADSTRINGENTIVM INDOLE
ET GENERALI AGENDI MODO.



§. VII.

Omnes corporis humani fibras certo & determinato gaudere cohaesionis gradu, neminem certe fugit, sique hic gradus ita est comparatus, vt, a vi externa quomodocunque mutatus, in pristinum se se restituere nitatur statum, tunc fibras elasticitate praeditas esse dicimus. Subiectum huius elasticitatis constituunt vltima seu minima solidarum corporis partium stamina, quumque partes hae simplices totius machinae prima ponant fundamenta, liquido exinde patet, nullam partem hac physica carere elasticitate. Causam vero eiusdem in vltimarum fibrarum structura quaerimus, hacque ratione cum causa elasticitatis aliorum quoque corporum physicorum conuenit, vtpote quae pariter in illorum structura fundata est. In corpore autem humano viuo etiam alio nomine vis illa fibrarum & determinatus cohaesionis gradus insignitur, *tonusque naturalis* vocatur. Adstringentia ergo, quotquot sunt, agunt primo in solida, postea vero suam etiam fluidis communicant partibus actionem. Efficiunt itaque adstringentia vt partes fibrarum simplices, seu fibrillae, vel antea relaxatae, vel adhuc in naturali cohaesione constitutae, proximius ad se inuicem accedant,

cedant, & in fluida contenta maiorem exerant vim; haec quidem reagent, ast non ita, vt in fines arteriarum penetrare possint, hinc ad vasa lateralia transiunt, ibidemque partim stagnando, partim premendo alios effectus produciunt.

§. VIII.

A tono naturali, §. antec. exposito, differt *tonus vitalis*, vtpote qui nihil aliud est, quam musculorum motus ab influxu liquidi neruei legitimo dependens. Qua de causa, hoc influxu cessante, cessabit etiam robur inde deducendum. Manifesto hoc apparet ex variis saepius a Medicis hunc in finem institutis experimentis, quibus ostensum fuit, quod discissis vel ligatis neruis ad partes quasdam abeuntibus, omnis statim euanescat tonus vitalis ac musculorum motus, & vice versa, remoto vinculo & neruis iterum relaxatis, idem ille redeat, argumento satis claro, quod vnica huius vitalitatis causa in legitimo influxu liquidi neruei sit quaerenda.

SCHOLIUM. Me quidem non fugit, quod, arteria ligata vel abscissa, similes mutationes obseruentur, quae vero tunc magis a caloris defectu oriri solent. Vid. hac de re *Excell. Dn. EBERHARDI*, Praeceptoris ac Patroni mei nunquam satis colendi, *Conspect. Physiol.* Edit. prim. §. XXV. seqq.

§. IX.

Vterque tonus, §. VII. & VIII. consideratus, si imminuitur, oritur *debilitas*, quae nihil aliud est, quam fibrarum minor cohaesio atque actio ab imminuto in partes liquidi neruei influxu producta. Verum

Verum enim vero neminem, nisi medicinae prorsus ignarum, fugit, quid damni fibrarum debilitas in corpore producere possit. Fluidorum enim motus quum actione partium solidarum maxima ex parte nitatur, & illa iterum proportionate reagant in solida, hinc, illis debilitatis, manifeste tardius, quam par est, fluidorum progressius succedet motus, adeoque facili fieri potest negotio, ut decubitus, stagnationes, obstructions, aliaque huius generis inde proueniant mala.

§. X.

Vt igitur debilitas §. praeced. descripta tollatur, opus est remediis, quae in therapia generali sub titulo *roborantium* veniunt. Sunt vero talia, quae tonum naturalem partibus solidis restituunt, siue vires ac potentias motrices partium solidarum, a robore suo naturali deiectas, refocillando, firmando, ac intendendo reuocant, & in integrum restituunt. Horum roborantium efficacia in morbis curandis sane maximi momenti est, ita ut nullus fere aegrotus integram debite recuperare queat sanitatem, nisi corpori, a morbi causa motibusque inde productis debilitato, debitum naturale robur restituatur, eoque ipso illud a reciduis, alias facile oriundis, praferuetur; quumque haec ipsa remedia effectum talem successiue & placide exserant, hinc etiam iisdem sua manet utilitas atque praestantia.

§. XI.

Ab his differunt, ob vehementiorem vim & operandi modum, *adstringentia*, utpote quae effectum suum non successiue, sed repente & impetuo-

C fe

se exferunt, motumque fluidorum vel in totum, vel ex parte retardant, dum fibrae constrictae vegeto illorum impetui nimium quantum resistunt. Agunt ergo adstringentia vel in fluidas, vel in solidas, vel in utrasque partes corporis simul: si fluida alterant, fit illud inspissando; solida vero si mutant, tunc fixiori quodam terrestri cum acido coniuncto principio laxas & nimis debiles fibras stringunt. Merito hinc adstringentibus raro admodum fidendum est, quoniam, si indiscretim & promiscue exhibentur, facile perquam noxios accersunt effectus, quum e contrario roborantia, quae successiue fibras firmant, & idcirco non raro quoque discutientium & resoluentium nomine veniunt, in multis variisque morbis sanandis vires omnino praestent saluberrimas.

§. XII.

Triplici autem modo adstringentia talem subitanam constrictionem producere possunt, I. irritando, II. augendo fibrarum cohaesionem & III. fluidi neruei motum versus has partes determinando. Singula vero in eo conueniunt, quod sanguinis excretiones quasi in momento sistant. Praestant hoc omnia acida vulneribus admota, & potissimum spiritus vini rectificatissimus, qui acidum quoddam admodum subtile atque volatile reconditum gerit, quod in partium interstitia facili penetrare potest negotio, & contactum efficere vbi nullus adest, adeoque irritando auget cohaesionem, quumque hoc cohaesionis augmentum subito & cum impetu fiat, facile exinde apparet, admodum caute cum illis esse mercandum. Porro ex chymicis constat, corporum

rum partes, in fluido grauiori solutas, per fluidum specificè leuius praecipitari posse. Partes enim solutae sustentantur in interstitiis partium fluidi soluentis ob solam cohaesionem illam inter se, cumque haec adfuso leuiori fluido mutetur, ideo partes praecipitantur, adeoque sanguis hac ratione coagulatur atque vasa angustantur.

SCHOLIUM. Spiritus vini rectificatissimi efficaciam adstrictoriam prolixius exponit b. WEDELIVS, in Dissert. de Spiritu vini Cap. II. p. 26. his verbis: *Spiritus vini sistit sanguinem in momento quasi, spleniis in eo tinctis aut plumaceolis vulnere applicatis, & ipsa labia intra aliquot horarum spatium firmiter iterum coniungit.* Idem hoc affirmat Illustr. HEISTERVS in Chirurg. Part. I. Libr. I. Cap. II. p. 70. *vehementius, inquit, ac vsitatus hodie remedium ad supprimendum sanguinem est spiritus vini rectificatissimus.*

§. XIII.

Adstrictorium talem effectum exserunt I. *terrea* salibus acidis immixta, vti alumen & vitriolum, quae duplici ratione illum praestant, partim ob terreas partes fluidum ex fibrarum interstitiis absumendo, partim ob acidum coniunctum eas ad maiorem cohaesionem sollicitando. II. *Acida sola*, vti acetum destillatum, spiritus vitrioli, &c. a quibus solidae partes ad fortiores constrictiones, & fluidae ad maiorem contactum atque cohaesionem, dum lymphaticum cum sanguine iunctum laticem promte coagulant, sollicitantur ac disponuntur. III. *Adstringunt praeparata* quaedam *metallica*, inprimis acido corrosa, vti croci martis, aerugo & viride aeris,

quorum posteriorum ea est indoles, ut sub nullis plane circumstantiis usum internum admittant, nisi summam corpori noxam inferre velis. Viride enim aeris, quum sit cuprum ab acido tartari corrosivum, & ob causticam, quam simul exferit, indolem, non nisi rarius externe applicetur, merito ab omni prorsus exulare debet interno usu, gravissimum alias damnum certissime concituro. Sic quoque medicamentum quoddam ex haematite & crystallis tartari paratur, cuius si pauculas saltem guttas oricanis viui, cultro anatomico subiecti, infundas, ipso quasi momento sanguis, antea large longeuè profiliens, circa vasorum laesorum ora grumescit & coagulatur. Conf. SCHMIDII Dissert. de viro apoplexia extincto ab haemorrhoidum inconsulta suppressione, Altorf. 1723. ventilata. IV. Adstringentibus quoque adnumerantur *vegetabilia* copiosis terreis & intermixtis salinis acidis partibus gaudentia, ut radices tormentillae, bistortae, cupulae glandium, gallae, sorba, mespila exsiccata, flores balaustiorum, malicorium, cortex capparum, &c. Denique etiam *V. frigus subitaneum* similem effectum adstrictorium producit, dum exteriorem corporis habitum constringit, ut humores per vasa ibidem dispersa libere progredi nequeant, & hinc versus interiora retroagantur, ibidem magis coaceruentur, indeque vasorum diametri ultra solitum gradum distendantur; hoc vero, cum prae aliis partibus capiti imprimis facillime accidat, mirari idcirco haud licet, cur a grauiori sic inducto vasorum cerebri infarctu, & exinde eueniente qualicunque compressione circa
neruo.


neruorum principia, in aliis sensuum corpor, in aliis apoplexia oboriatur.

SCHOLIVM. Illustr. b. m. HOFFMANNVS frigoris subitaneam actionem in corpus humanum egregie exposuit, in *Medicin. rat. system.* Tom. I. p. 338. his verbis: *Humores spissat, condensat, poros & capita tubulorum constringit, & humores ab ambitu corporis retro ad interiora vrget, unde fieri haud aliter potest, quam vt sanitatem multis iisque grauioribus mactet incommodis.*

PARS TERTIA
DE

EXACERBATIONE HAEMORRHAGIARVM AB INTEMPESTIVO ADSTRINGENTIVM VSV.

§. XIV.

 His ita pertractatis superest tandem, vt nunc dispiciamus, an & quomodo adstringentia haemorrhagias exacerbare valeant, id quod partim generalia, partim etiam specialiora quaedam sufficienter monstrabunt argumenta. Ipsa enim rationalis morborum curatio, quum non nisi in causarum remotione consistat, haec vero adstringentibus remediis sub haemorrhagiis minime perficiatur, generale statim praebet documentum, de minori vtilitate ab iisdem in tali statu expectanda, id quod etiam ratione aequae ac experientia confirmatur. Adest namque in omni haemorrhagia affluxus copiosior versus vasa disrupta aut relaxata, qui vero affluxus quum per adstringentia ex-

hibita tolli aut imminui haud possit, ideo etiam talia haemorrhagiis secure mederi non possunt. Agunt porro adstringentia, spasmos repente concitando vel augendo (§. XI.), quo ipso vasa coarctant, sanguisque congestiones versus alias partes facile prouocant, vnde dein *primus* ab iisdem metuendus *noxius effectus* originem suam trahit, vt nempe *sanguis versus alias partes retroagatur.*

§. XV.

Damnum vero illud, quod ex eiusmodi subitaneo repulso sanguinis in corpus nostrum redundat, magni vtique momenti, & ex doctrina pathologica optime potest demonstrari. Neminem enim fugit, quod ab haemorrhagia narium per adstringentia cohibita saepe apoplexia, affectus soporosi, vel inflammationes meningum lethales originem suam ducant, dum nempe sanguis commotus, si non remediis temperantibus internis in placidiorem motum redigitur, & ad alias partes remotas deriuatur, adstringentibus licet adhibitis eandem semper seruat directionem, & quum vasa narium, ex quibus prorumpit, constringantur, necessario hinc ad cerebrum, tanquam partem nobiliorem, ruit, fonticosque illos morbos ibidem producit.

§. XVI.

Sanguis, qui neque progredi, neque regredi potest, stagnat; adstringentia vero eius egressum impediunt, & affluxus magis auctus a partibus vicinis & remotis eius regressum non admitit; hinc *alter* oritur *noxius effectus* ab adstringentibus, quod nimirum *stagnationem in vasis coarctatis producant*, indeque varii generis vlcera, obstructions grauiores, scirrhi, &c. concitentur.

§. XVII.

§. XVII.

Exempla, quae prostant, varia, veritatem huius asserunt vberius confirmant: in haemoprysi enim directionem sanguinis auctam versus pulmones obseruamus; simulac vero illa per incaute exhibita adstringentia supprimitur, & sanguinis affluxus a partibus remotis continuat, vasa statim sanguine ita infarciuntur, vt inde stagnationes in minoribus ramificationibus oboriantur, quae dein, ob motum interceptum, facile in corruptionem abeunt, tandemque phthisin inducere solent. Non minus etiam deprehendimus, post usum adstringentium improvidum in mensium ac haemorrhoidum fluxu nimio eiusmodi stagnationes in vasis coarctatis suscitari, quae quandoque in graues inflammationes, vel vlcera mali moris, transeunt. Porro per experientiam constat, quod mictus cruentus, e renibus potissimum proueniens, adhibitis adstringentibus equidem facillimo negotio sistatur; at stagnationes hisce remediis inductae plerumque in putridam ruunt corruptionem, hecticam sic dictam renalem demum inferentem.

§. XVIII.

In haemorrhagiis adest compressio vel constrictio venarum (§. IV.), quam illegitimus sanguinis motus progressius ex arteriis in venas luculenter demonstrat; hinc sequitur, vt omne illud, quod venarum fibrillas magis crispare potest, illarum compressionem atque constrictiorem maiorem, indeque haemorrhagiam auctiorem producere queat. Iam autem adstringentia agunt constringendo (§. XI.), adeoque tertius exinde sequitur noxius effectus, nempe haemorrhagia ab intempestiuo illorum usu potest auferri.

§. XIX.

Non minus quoque pro circumstantiarum ratione haemor-

haemorrhagias spasmi mox leuiores, mox vehementiores, comitantur; spasmi vero, dum consistunt in robore fibrarum praeternaturaliter aucto, sequitur, vt influxus liquidi neruei in partes constrictas debite succedere nequeat; hoc autem si contingit, debilitas (iuxta §. IX.) oboritur. Iam vero adstringentia, in haemorrhagiis exhibitata, spasmus excitando agunt, indeque illum iam praesentem magis magisque augent, & quum quemlibet spasmus excipiat maior debilitas, hinc IV. incaute exhibitata haec remedia *fundamenta ponunt noui subsequenti recursum haemorrhagarum*, qui tanto facilius euenire potest, quo certius est, quod humores eo copiosius ruant, vbi minorem inueniunt resistentiam.

§. XX. Tandem adstringentia vires suas noxias in viscera exferunt, eorumque functiones non parum laedunt. Si enim haec remedia partes constringendo, fluidaque coagulando agunt (iuxta §. XI.), merito exinde concludere licet, quod interne improvide exhibitata nimiam in visceribus constrictionem & humorum spissitudinem producere valeant, dumque hac ratione sanguinis motum grauiter turbant & tardiozem reddunt, hinc necessario tandem stagnationibus via panditur, quae vltimum noxium adstringentium effectum, *viscerum nempe obstructions*, accelerant. Confirmat hoc Illustr. b. m. HOFFMANNVS in Dissert. de Haemorrhagia vteri, nonnulla, inquit, *subiecta ab immoderatiore adstringentium usu in immanes & graues chronicas passiones, cachexiam, hydropem, lentam & hecticam febrem, perpetuum lymphae ex vtero stillicidium, cum intumescencia, & tumore duro circa dextrum latus inguinalis regionis, fuerunt praecipitata.* Haec pro temporis penuria disputata sufficiant, vtpote cuius intuitu fusus hanc persequi mihi non licet materiam; vela igitur nunc contrahens, Dissertationi huic impono

F I N E M.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

D. IO. PETR. EBERHARD,

MED. PROF. PVBL. ORDIN.

Quod vulgo, usu & consuetudine ducti facere solent, ut amicis, nonos honores capessentibus, gratulentur, & publica eius rei exhibeant documenta: id ego quoque iam suscipio, non ut suetum modo morem sequar, sed tum ut gaudium TIBI meum declararem, ob honores iam assequendos, quos, si quis alius, TV sane diu iam mereris: tum ut publice declararem, quid aegri olim, quid respública, quid ipsa denique salutaris scientia a TE possit expectare. Ex quo ad nostram accessisti Academiam, non honestum modo & bene moratum TE vidimus ciuem, sed & diligentem atque assiduum, & talem TE fore iudicauimus, qualem TE iam nobis sistis. Diligentem TE semper exhibuisti in scholis Magnifici & Celeberr. ROEHMERI, Illustrium & Excellentissimorum, ALBERTI, LVNCKERI atque BÜCHNERI, Excellentissimi DANIELIS & Experientissimi WIELKY. Meis praeterca scholis Physicis, Physiologicis, Pathologicis, formulari, disputatorio, & exercitationibus clinicis, ita interfuisti, ut tam defensione & impugnatione thestium variarum, quam elaboratione solida casuum exhibitorum, non vulgarem, sed solidam cognitionem demonstrares veritatum medicarum. Maxime autem in TE laudandum est, quod, postquam iam per tres annos gnaviter operam Medicinae dederas, imo cum TE iam Facultati nostrae, solitis examinibus cum laude superatis, probaueras, tamen per sat longum adhuc tempus, sub auspiciis Excellentissimi DANIELIS, Physici orbis nostrae meritisissimi, aegros vistare, nosocomia frequentare, & sic in Praxi medica TE exercere malueris antea, quam lauream doctoralem acciperes. Tantis iam exhibitis eruditionis & diligentiae speciminibus, mirum sane non est, quod in praesenti quae in inaugurali Dissertatione, quam proprio Marte elaborasti solidae, dignum TE iam demonstrares, cui summi in Medicina honores tribuantur. Hos ego TIBI honores gratulor ex animo, TE quoque rogo, ut me amare TVaque amicitia amplecti pergas. Vale. Dab. in Reg. Frideric. d. XXX. Martii, A. MDCCLVII.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ET ELEGANTER DOCTO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

D. CHRISTIANVS FRIDERICVS DANIEL,

PHYSICVS HALENSIS.

Non id nunc ago, vt TE laudem, aut virtuti TVAE testimonium
scribam: nullum enim testimonium incorruptius est eo, quod
in sensus incurrit. Interim tamen non possum non veritatis stu-
dio & amicitiae id tribuere, quod virique conuenit, & publice
hic profiteri, TE abunde impleuisse spem illam, quam de TE statim
conceperam, cum, ex commendatione Illustris & Experientissimi
D. BÜCHNERI nostri, propius mihi innotesceres. Primo enim sa-
luberrima medicinae praecepta a Viris doctrina & peritia insigni-
bus in alma hac Fridericiana diligentissime hausisti, nihilque omni-
no praetermissisti, quod ad solidam in arte nostra eruditionem
comparandam vlllo modo pertinet. Deiu vero, non his solum ac-
quievisisti, quae scientiam augent, verum etiam probe memor sui-
sti, nihil Medico prius, nihil posterius esse debere, quam vt artem
ipsam possit exercere & luculenta dare documenta in aegrotan-
tium salute reparanda. Non itaque graue duxisti, sub meo du-
ctu morbo afflicti diligentem operam nauare, ipsorumque curatio-
nem perite suscipere, sicque & TIBI prodesse, & me in artis ope-
re egregie subleuare. Atque hoc ipsum tam dextere semper per-
fecisti, vt spes me alat indubia, fore, vt patria in TE acceptura
sit virum, cui salutis suae curam tuto quisque possit committere.
Nec denique silentio praetermittenda est singularis TVA modestia
morumque elegantia, qua omnium bonorum amorem & beneuo-
lentiam ita TIBI constanter conciliauisti, vt nemo sit, qui non honori-
bus TVIS impense faueat, & TE faustis iam omnibus prosequatur.
Quamobrem & ego pariter lauream doctorem, quam dudum pro-
meritus es, hodie TIBI sincere gratulor, Deumque precor, velit
porro conatibus TVIS prosperrimos largiri successus, teque in pa-
triae commune bonum, TVORVM solatium, aegrotorumque emolu-
mentum plurimum, omni felicitatis genere affluentem reddere &
conseruare. Mei memoriam commendo, TVI recordationem nun-
quam depositurus. Ita vale, & rem ex voto TVO & meo gere fe-
liciter. Dab. Halae Magdeb. a. d. 24. Mart. MDCCCLVII.



Disputatio

4. 1757

Halle, Med. Diss., 1757


ULB Halle

002 830 71X

3



Retro ✓





TIO INAVGVRALIS MEDICA
 DE
 CERBATIONE
 ORRHAGIARVM
 MPESTIVO ADSTRIN-
 ENTIVM VSV

QVAM
 VSPICIIIS SVMMI NVMINIS
 ET
 RATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
 PRAESIDE
 A ELIA BVCHNERO
 ROMANI IMPERII NOBILI,
 RVSSIAE REGI A CONSILIIIS INTIMIS,
 PHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
 CADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
 COMITE PALAT. CAESAREO,

RADV DOCTORIS
 MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
 ALIBVS RITE CONSEQVENDIS
 L. MARTII, A. S. R. MDCCCLVII.
 REGIA FRIDERICIANA
 PVBLICE DEFENDET
 AVCTOR
GOTTHOLD MATTHAEI
 LESLAVIA SILESIVS.

DEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.

